



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarum Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De coniugio fidelis & infidelis & duorum infidelium. B

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

De coniugio fidelis & infidelis, & duorum infidelium.

Huic a. videtur obuiare, quod Apostolus ait de imparibus coniugiis. Ego dico, non Dñs. Si quis frater habet vxorem infidelē, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier, &c. Sed aliud hoc esse, aliud illud, euidenter ostendit Aug. Ibi n. agitur de illis coniugiis fidelium & infidelium, quæ contrahuntur ab eis in dispari religione & fide manentibus. Apostolus vero agit de illis, qui vnus eiusdemque infidelitatis fuerunt, quando coniuncti sunt. Sed cū venisset euangelium, alter sine altera credidit. Intelligisne quid dicam? Attende vt rem ipsam diligentius explanem. Ecce coniuges duo vnus infidelitatis fuerunt, quando coniuncti sunt: nulla de his quaestio est, quæ pertinet ad illud præceptum veteris & noui testamenti, quod prohibetur fidelis cum infideli copulare coniugium. Iam sunt cōiuges, & ambo adhuc sunt infideles. Tales sunt adhuc quales cōiuncti sunt. Venitq; Euangelij prædicator, credidit eorum vnus vel vna, sed ita vt infidelis cum fideli habitare cōsentiat, non iubet Dñs, vt fidelis infidelem dimittat taliter coniunctum. Nec Apostolus iubet, vt non dimittat, sed consulit: vt si quis aliter agat, non sit transgressor, sicut & de virginibus consulit. Monet a. quod est lucrandi occasio, cum possit licite relinquere, sed non expedit. Tunc n. non expedit id, quod licitum est, quādo permittitur quidem: sed ipsius vsus aliis affert impedimentum salutis: sicut discessio fidelis ab infideli, quam non prohibet Dñs, quia coram illo non est iniusta: sed Apostolus ne fiat, consilio charitatis suadet, vt nemo in ea re iussione necessitate teneatur, sed cōsiliij volūtate libere faciat. Ex his mōstratur, inter infideles coniugium esse, & consilium Apostoli nō obuiare præcepto Dñi, quod iubet fidelē non iungi infideli, & si coniuncti fuerint separari. Legitur enim

*Aug. eodē c.
21. lib. 1. de
adulteri. cō-
iug.*

*Aug. ibid.
lib. 1. ca. 18.*

*1. Cor. 7.
Aug. ad Pol-
lentium.
lib. 1. ca. 13.*

1. Cor. 7.

enim, quod Esdras propheta, immo Dñs per eum iussit Israëlitis vxores dimittere alienigenas: per 1. Esdr. 10. quas ibant ad Deos alienos, non illæ per maritos acquirebantur Deo. Recte ergo præcipit: quia per Moysen iusserat Dñs, ne quis vxorem alienigenam duceret. Merito ergo quas duxerant Dño prohibente, Dño iubente dimiserunt: quia vt ait Ambr. Non est putandum matrimonium, quod extra decretum Dei factum est: sed cum cognoscitur, emendandum: vt quando fidelis infideli copulatur. Sed vt ait August. Cum cœpisset gentibus euangelium prædicari, iam coniunctos gentiles gentilibus cōpetit coniugibus: ex quibus si non ambo crederet, sed vnus vel vna, & infidelis cum fideli cōsentiret habitare: nec prohiberi à Dño debuit fidelis infidelem dimittere, nec iuberi. Ideo non prohiberi, quia iustitia permittit à fornicante discedere. Et infidelis hominis fornicatio est maior in corde, nec vera eius pudicitia cum coniuge dici pōt: quia omne quod non est ex fide, peccatum est, quamuis veram fidelis habeat pudicitiam, etiam cum infideli coniuge, quæ non habet veram. Ideo autem nec iuberi, quia nec contra iussionem domini gentiles fuerunt ambo coniuncti. Licitum ergo erat per iustitiam, fideli infidelem dimittere: sed licitū non erat faciendum propter liberam beneuolentiam. Euidenter apparet & inter fideles coniugiū esse, & Apostolum de illis agere, qui in infidelitate coniuncti fuerunt, & post alter ad fidem conuersus est, cum quo etiam infidelis habitare consentit, & hunc non dimittere fideli consulit Apostolus: quia forte per fidelem saluabitur infidelis.

*De fornicatione spiritali, ob quam potest dimittere
comunx.*

Potest tamen dici licite dimittere: quia infideli est fornicatio, si non corporis tamen mentis. *In Glos. 1. Cor. 7. Si quis.* **C**
sam n. fornicationis Dominus exceptit. Fornicationem

Amb. ad cō-

7 pri. ad Cor.

Aug. li. 1. &

ca. 18 de ad-

ul. coniug.

Matt. 19.